



76

100









1666.

1. Pomeroschius, Joann : De mutuo.
2. Pomerosch, Johann : De judiciis.

1667.

1. Friedlieb, Conrad : De igne nocente.
2. Friedlieb, Conrad : Tractatus juridicus... de igne nocente, interpretatione poenae, ejusque exemptiones... Dec. 1675
2. Verdesius, Fridericus : De mandatis cum et sine

clausula.

3. Gerdener, Fridericus : Programma, quo... ad in ang... de mandatis cum et sine clausula d. p. ab... Aug. Wuffis... pro summo in abs. jure honoribus consequendis... invitat

1. Friedlieb, Conrad : De magistratu politico
2. Pomeroschius, Joann : De brachio seculari.
3. Pomeroschius, Johann : Programma, quo... et dissertationem in angularem, a Christiano a Thienen : De brachio seculari debendam... invitat.

1670.

1. Mascovius, Petrus : De jure inventaris.
2. Mascovius, Petrus : De quasi-usu fructu.





1670

3. Pomereschius, Joannes: De jure colonariorum

1671.

1. Gerdessius, Fridericus: De monopolis

2. Gerdessius, Fridericus: De jure representationis

3. Gerdessius, Fridericus: De successione inter virum  
et uxorem.

4. Gerdessius, Fridericus: De remissione pensionis

3. mercedis in locatione et conductione

5. Gerdessius, Fridericus, Fac. jur. Decanus: ad Prop. in aug

de remissione mercedis in locatione conductione a.

Tractatus Westphalo. . . pro summis in utroque

jure honoribus . . . consequenter . . . invitat

6. Gerdessius, Fridericus: De majore parte ejusque

praerogativa.

8. Pomereschius, Joannes: De deterioratione.



1672.

Fidelis, Carno. De ambigu.





1

2

3

4

5

6

7

8





12480.

1667, 2

36

5

DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE  
**MANDATIS  
CUM ET SINE  
CLAUSULA,**

Quam

Divina favente Clementia

Auctoritate & decreto Nobilissimi & Amplissimi  
Jurisconsultorum ordinis in inclutâ Pomeranorum  
Academiâ Gryphicâ

PRÆSIDE

**DN. FRIDERICO GERDESIO,**

J. U. D. Pandectar. & Codic. Prof. Ordinario, Facultatis  
Juridic. p. t. DECANO, Spectabili, Fautore ac Promotore  
suo honoratissimo,

Pro summis in Utroq; Jure Honoribus & Privile-  
giis Doctoralibus rite & solenniter  
consequendis

publicæ Eruditorum Censuræ  
submittit

**AUGUSTINUS Wolff/**  
URATISLAVIENSIS.

Ad diem 18. Julii in Auditorio Majori hora 7. Matutina.

GRYPHISWALDIÆ

Typis MATTHÆI DOISCHERI, Acad. Typogr. clō JccLXVII.









# In Nomine Domini nostri J E S U

CHRISTI ad omnia consilia, omnesq; a-  
ctus semper progredimur. *l. 2. pr. C. d. off. pref.  
prator. Afr.*



## Vtilem & frequentem in

foro de mandatis materiam, quam  
multis verborū lenociniis in præsentiarum  
recommendarē, & sic vino vendibili hæde-  
ram suspendere volens supersedeo, utilita-  
te ejus in aprico jam existente, publicæ di-  
squisitioni subjecturus, operæ & temporis  
pretium me facturum arbitror, si citra lon-  
ge petitas ambages opus statim ipsum aggrediar, & sub initium  
propositi potiorē rerum & materiæ, verborum verò & termi-  
norum priorem curam suscipiam.

Th. 1. Ut ergò, Divino Numine auxiliante, ab *ὀνοματολογία*  
& sic definitione nominali incipiam; Mandatum, quasi manu da-  
tum dicitur, *Old. Prat. in Lex. verb. Mandare.* inq; genere acci-  
pitur pro omni eo, quod alicui gerendum exequendumq; com-  
mittitur: in specie verò denotat (1) Contractum, exq; eo inde  
descendentem Mandati actionem, uti in *tit. 7. ff. C. Mandati.*  
(2) formulam, quæ Procuratori tam judiciali quam Extrajudiciali  
dari consuevit, ad quam se conformare debet, & vocatur Manda-  
tum. *Eine Vollmacht!* (3) sumitur mandare pro delegare, seu ali-  
quid ad alium transferre, unde Mandata jurisdictio *t. t. ff. d. eocui*  
*mandat. est jurisd.* (4) Mandare denotat præstare & exhibere a-  
ctiones *l. 25. ff. d. administr. tut.* hinc Mandatum Actionum *l. 76.*  
*d. solution.* (5) per Metaphoram quoq; hoc verbum rebus inanima-  
tis applicatur, sicuti in illis veterum formulis, Mandare literis, man-  
dare terræ, mandare fugæ *Calvin. lex. verb. Mandare.* (6) denique  
Mandatum accipitur pro jussu & præcepto Superioris aliquid fieri  
volentis aut nolentis. *t. t. C. d. mandat. princip. Nov. 17. Ord. Ca-*  
*mer. p. 2. tit. 23. & passim in Recess. Imper.* quæ significatio hujus  
est



est loci. Vocantur alias hæc Mandata, Monitoria, unde Sententia Monitoria *l. 33. pr. c. d. Episc. & cler. Interdicta t. t. 3. ff. & c. d. Interdict. coll. Arg. d. Interdict. num. 4. Decreta tit. ff. de Decret. ab ord. fac. Edicta l. 39. d. religios. & sumpt. fun. Jussum vel jussio l. 2. c. d. Mandat. Princip. Rescriptum l. ult. c. si contr. jus Rubr. c. d. divers. rescript. Sacrum oraculum l. 5. c. si contr. jus. Præceptum l. 3. c. de re judic.*

Th. 2. Clausula à claudendo dicta in genere denotat omne id, quod rem aliquam certis limitibus circumcingit, hinc clausulæ sive clausuræ Imperii, denotant custodias limitum & angustias adituum, quæ regionem aperiunt. *Calvin. in voc. clausura.* Juri vocant clausulas, Edictorum, Stipulationum, Testamentorum, Rescriptorumq; particulas; Unde clausula codicillaris, testamentorum, Contractuum, quæ aliàs sub nomine conditionis veniunt, *l. 9. pr. d. edend. l. 3. quod met. caus. l. 6. & 13. pr. ff. judicat. solv.* Nobis clausula erit additamentum, Judicis mandatum ex jure & æquo modificans.

Th. 3. Definitionem nominalem excipit definitio Realis. Cum verò Jureconsulti in definitionibus suis non adeo scrupulosi esse soleant, dum propter varias negotiorum circumstantias facile everti queant *l. 202. d. R. 3. ibique Phil. Matth. num. 4.* nec ego in exacta definitione tradendâ multum laborabo, sed satis erit descriptionem hanc cum *Petr. Frider. Mindan. tr. d. Mandat. cap. 3. n. 1.* dedisse, quod mandatâ cum vel sine clausula nihil aliud sint, quam litteræ Judicum executivæ ex officio eorundem ad partis implorationem, vel cum vel sine addito justificatorio emissæ, quibus quis vel dare vel facere vel omittere quid jubetur. Singula definitionis membra suis ubique locis uberius explicabuntur.

Th. 4. Sequitur Mandatorum Divisio, quæ varia potest constitui, nos aliquas huc saltem apponemus, (1) igitur quædam sunt Ecclesiastica, cum Judex Ecclesiasticus Jurisdictioni suæ subjectis aliquid mandat. *c. 5. & passim X. d. rescript.* quædam verò civilia à brachio seculari provenientia *t. t. c. d. Mandat. princip. Nov. 17.* (2.) alia sunt Inhibitoria quibus judex coërcet, inhibet, vetat, prohibet, ac ne quid fiat injungit, & hæc mandata respondent Interdictis prohibitoriis; alia Compulsoria, quibus instat, jubet,



bet, imponit, urget compellit & comparari possunt interdictis Ex-  
hibitoriis; Alia Executorialia, quibus Judex exequitur. *Mind.*  
*cap. 5. num. 2. (3.)* Quædam sunt cum vel sine clausula, quædam  
etiam Mixta, talia sunt si contra quem decernitur mandatum super  
litigiosâ possessione, & simul de non offendendo *Mindan. d. loc.*  
*num. 3.* ubi illud cum clausula, hoc sine clausulâ expediri consue-  
vit. (4.) ab accidenti mandata quædam sunt legitima, justa, & æ-  
quitati congrua, quibus obædiendum & mos gerendus est, quæ-  
dam injusta iniqua & illegitima, quibus obædientia rectè denega-  
tur, præcipuè si sint injusta, quorum exorbitantiam majorem esse  
tradit, *Mindan. d. cap. n. 7.*

Th. 5. Causa Efficiens Mandatorum est omnis judex com-  
petens, hic n. basis & fundamentum omnium est judiciorum & per  
consequens etiam Mandatorum; cum igitur litigare corâ judice in-  
competente nihil aliud sit quàm litigare coram homine privato, qui  
jus dicendi non habet *l. 1. d. off. procons. l. ult. d. Jurisd. Zanger. d.*  
*Except. p. 2. cap. 1. num. 2.* hinc ante omnia ne judicium, atque à Ju-  
dice emissum mandatum reddatur retro nullum & elusorium, de  
judicis auctoritate & competentia prius erit dispiciendum. Hæc  
Competentia autem æstimatur tum ratione Judicis, tum ratione  
litigantium. Ratione judicis, cum is limites jurisdictionis sibi &  
ratione personarum, & ratione causarum, & ratione ordinis co-  
gnoscenti, competentis observat. Litigantium intuitu forum  
competens æstimatur ex persona Rei, cujus forum Actor sequi de-  
bet *l. 2. c. d. Jurisd.* Reus a. forum sortitur vel jure communi, vel  
singulari seu privilegio. Ex jure communi V. modis, ratione  
Domicilii, Contractus, Delicti, Rei sitæ, & Continentiæ causæ.

Th. 6. Domicilium est jus, quo quis communiter utitur  
cum cæteris civitatis alicujus civibus, & duplex constituitur: Na-  
turale & Originis, & accidentale seu habitationis: *l. 6. c. d. incol.*  
Illud est quod natura tribuit ex loco, quo quis nascitur *l. 1. pr. §. 2.*  
*l. 6. §. 1. ad Municip. Rittersb. ad Nov. 9. c. 10. n. 16.* modo pater ibidem  
natus fuerit *l. 6. §. 1. ad municip.* licet mater aliunde originem tra-  
hat *l. 1. §. 1. 2. d. t.* Quamvis autem de Jure nostro Civili domicilium  
illud originis sit immutabile, ut quocumque Originarius se trans-  
ferat, in patriâ civis maneat *l. 4. c. ad municipal.* & quoad persona-



lia & patrimonialia munera *l. 6. C. d. incol.* nec ejus renunciatio quicquam operetur. *Matth. Steph. d. Jurisd. lit. 1. cap. 28. num. 55.* Hodie tamen ex generali Germaniæ consuetudine civis originarius renuncians civitati, & pensitatâ de omnibus suis bonis certâ pecuniâ, quam jus detractionis seu Gabellarum *Nachsteuer* oder *Ab-schoß* vocant, *Besold. Tb. pr. in voc. Abschöß.* (quod jus quamvis jure Justinian. sit in *l. ult. C. d. edict. D. Andr. toll.* sublatum, moribus tamen iterum introductum *Carpz. p. 3. const. 38. def. 19. & in Instr. Pac. art. 5. §. conventum autem 36. inf.* ab Imperatore & Statibus Imperii approbatum) domicilium transferens aliò civis originis esse desinit tam quoad Jurisdictionem, quam quoad munera personalia *Gail. 2. Obs. 36. num. 5. 6. 7.* & conventus fori præscriptione se tueri potest.

Th. 7. Ratione habitationis sortiuntur forum, qui animo subsistendi alicubi habitant. Duo enim ad constituendum forum habitationis junctim requiruntur, (1.) Habitatio seu commoratio certo in loco per translationem fortunarum & bonorum defixa, (2.) animus ibi commorandi *l. 7. C. d. incol. l. 27. §. 1. ff. ad munic.* Sola autem domus possessio in alienâ civitate non facit habitationis domicilium *l. 17. §. 13. ad Municip.* Animus porro ille subsistendi vel expressè vel tacitè declaratur: illo modo, si quis Jus Civium impetraverit, ibique habitet. *Wenn einer Bürger-Recht gewonnen/ und sich häußlich niedergelassen. Zanger. d. Except. p. 2. tit. 1. n. 54.* Si enim ibi non habitet, quamvis civis factus sit, id si in fraudem Magistratus faciat, non tantum ibi non conveniri, sed nec privilegiis ac jure istius loci uti potest, hi dicuntur *Pfahl-Bürger/ i. e. falsi cives; Aur. Bul. tit. 16. Besold. Tb. pr. in voc. Pfahl-Bürger.* Præsumptivè declaratur animus subsistendi (1.) si quis in loco aliquo ea faciat, quæ cives facere solent *l. 27. §. 1. ad Municip. Gail. 2. Obs. 35. n. 8.* (2.) si quis in loco majorem bonorum partem possideat *l. 2. ibi. aut majorem C. ubi senator. & clariss. ibidemq;* tanquam paterfamilias pecoribus, villis, aliisq; rebus familiarem rem spectantibus domum suam instruat. *Zanger. d. Except. p. 2. tit. 1. n. 26.* ubi plures contracti domicilii conjecturas habet. In dubio autem, quando de animo non constat, post lapsum decennii domicilium quis fixisse censetur *l. 2. d. incol. Wesf. ad Municipali num. 7.* Jure Lubec.



Lubec. Incola, qui propriam familiam alere in civitate incipit,  
der sein eigen Feuer und Rauch halten wil/post spatium trium men-  
sium jus Civium petere cogitur *lib. 1. Tit. 2. art. 2.* ubi Magnif. Dn.  
Mev. in Comment. dict. artic. quasdam ponit limitat.

Th. 8. II. Reus forum sortitur ex contractu tam verò quam  
quasi: *l. 19. §. 1. l. 20. d. judic.* idq; iterum vel ex conventionem ex-  
pressa, vel præsumtâ & tacitâ. Illo modo fit per prorogatum Juris-  
dictionem *l. 1. & 2. pr. d. Judic. cap. significasti X. d. for. compet.*  
Item per litis contestationem *l. 4. c. d. Jurisdic.* quæ tamen pro-  
rogatio in causis ejusdem, non diversæ qualitatis procedit. Hodie  
v. prorogationis hujus non magnus Usus videtur reliquus *Schnob.*  
*Disp. 2. §. 11.* cum Jurisdictiones caperint esse patrimoniales, &  
hinc non nisi consentiente superiore prorogatio hæc procedit.  
Ex præsumta voluntate forum contractus Reus accipit (1.) qui à  
Judice incompetente vocatus se sistit, nec opponit Exceptionem  
fori *l. 1. c. d. Jurisdic.* (2.) Actor qui in judicio reconvenitur  
*l. 14. c. d. sentent. & interlocut.* cujus hodie permagnus est Usus;  
modo causa talis sit, quæ reconventionem admittat; Exceptiones  
vid. *ap. Rosb. prax. civ. tit. 46. num. 9. & seqq.* (3.) qui in certo  
loco soluturum se promissit; hic enim locus contractus is dicitur,  
in quem solutio promissa, non ubi negotium peractum *l. 1. d. eo.*  
*quod cert. loc. l. 2. 3. d. reb. auctor. judic. poss.* (4.) ubi quis quo-  
vis modo contractum celebravit *l. 19. §. 1. & 2. l. 20. d. judic. l. 3. d.*  
*reb. auctor. jud.* sive ibi reperiatur, sive non, de jure *Civ. d. l. 19. §. 1.*  
*& f. d. judic.* Hodie verò secundum *cap. Romana Ecclesia d. for.*  
*compet. in 6 &* ex consuetudine non aliter obtinet, nisi Reus etiam  
in loco contractus reperiatur. *Gail. 2. obs. 36. num. 14.* Cum hoc con-  
tractus foro concurrat forum domicilii *l. 19. §. 1. & ult. l. 20. d. judic.*  
Nonnunquam tamen Reus in loco contractus conveniri nequit,  
veluti (1.) quando sic inter contrahentes convenit, ne ibi conve-  
niatur, ubi contractum est *l. 19. §. 2. d. judic.* (2.) quando cum Me rca-  
tore advena statim iterum abituro contractum, uti in casu *d. l. 19. §.*  
*2.* Nisi advena ille in tabernâ vel pergulâ merces suas venum expo-  
nat *d. l.* aut qui cum eo contraxit, ignoret advenam esse *Don.*  
*17. c. 14. §. 3.* (3.) quando pecunia constituitur, seu in obligatione  
constituti *l. 8. d. judic.* licet enim hæc lex de Legato constituyente,  
tantum



tantum loquatur, ad quoscunque tamen constituentes ex constitu-  
ti natura commodè extendi potest. (4.) quando Maritus, matri-  
monio per mortem soluto (secus si per divortium sit factum,  
*l. 42. d. Judic.*) de dote reddenda actione extipulatu, eo in loco,  
ubi dos est constituta, convenitur, tunc exceptione fori tutus esse  
potest. *l. 65. d. Judic.*

Th. 9. Tertio ratione Delicti delinquens forum eo in loco  
sortitur, ubi deliquit *l. 1. & auth. quæ in provincia c. ubi de crimin.*  
sive delinquens præsens sit sive absens: Licet enim posterius qui-  
dam Dd. negent, rectius tamen cum *Theodor. in colleg. crim. Disp.*  
*4. th. 3. lit. b.* statuitur, reum tam præsentem quam absentem in lo-  
co delicti conveniri posse tum inquirendo, tum accusando *l. 28. §.*  
*15. d. pen. l. 7. §. 4. & l. ult. d. accusat.* Concurrunt verò & ratione  
delicti plura fora veluti (1.) Domicilium *arg. l. 2. d. Jurisdic. ubi*  
*Dd.* (2.) Locus deprehensionis *l. 1. c. ubi d. crimin.* ita ut hinc præ-  
ventioni locus sit; quamvis locus delicti in criminibus puniendis  
cæteris potentior sit, *Zanger. d. Except. lib. 2. c. 3. n. 9.* præsertim Jure  
fforum, ubi reus in alio quam delicti foro forte repertus & con-  
ventus necessario remittendus erat ad locum delicti commissi *l. 7.*  
*d. cust. reor. l. 7. §. fin. d. accus.* ut ibi exstaret exemplum pænæ, ubi  
exemplum culpæ *l. 28. §. pen. d. pæn.* à quâ remissionis necessitate ju-  
re Codicis quodammodo *l. 1. c. ubi d. crimin.* ex generali verò Ger-  
manicæ consuetudine planè discessum, ita ut remissiones hæ Urba-  
nitatis potius quam necessitatis esse videantur, nec aliter conce-  
dantur, quam sub litteris Reversalibus, testante *Gail. d. P. P. lib. 1.*  
*cap. 16. num. 31.* Licet *Habn. de Judic. n. fin.* & hodie necessitatem  
quandam remissionis inducat, si scil. in loco delicti inquisitio for-  
mata sit, hacq; peractâ reus auffugerit, sed hoc ex alio principio,  
litis nempe pendentia procedere existimo, & quæ tum ad hoc re-  
quirantur notat *Carpzov. pr. crim. p. 3. Qv. 110. num. 64.* Forum  
hoc deniq; planè cessat (1.) ratione privilegii, ut in clericis, *auth.*  
*Habita c. ne filius pro patr.* Militibus *l. 9. d. custod. & exhib. reor.*  
officialibus Principis in civitate, ubi Princeps curiam habet, delin-  
quentibus. *Heig. p. 1. qv. 25. num. 13.* (2.) Ratione loci, si leve cri-  
men committens ad Asyla confugiat, quod tamen in gravioribus  
delictis cessat. *t. t. c. d. his qui ad Eccles. confug. t. t. c. d. his qui*  
ad



*ad stat. confug. ibique Dd. speidel. in voc. Asylum. (3.)* Ratione  
causæ, ut in crimine læsæ Majestatis, cujus cognitio ad solum Im-  
peratorem pertinet *Zanger. d. Except. 2. cap. 1. num. 221. Carpz. pr.*  
*C. 3. qv. 110. num. 89. 90. (4.)* ratione fori ab alio præventi *Zang. 2.*  
*tit. 3. num. 9.*

Th. 10. IV. Forum sortitur Reus ratione rei sitæ in illo lo-  
co, ubi res controversa sita est, licet conventus ibi non habitet,  
*l. 3. c. ubi in rem act. t. r. c. ubi d. possess.* sive illæ res sint immobiles,  
*d. l. 3.* & quæ pro immobilibus habentur, ut annui redditus, jurisdic-  
tio *Besold. d. tract. cap. 1. th. 10. in f.* sive mobiles *l. 38. pr. d. jud. v. ultei*  
*ad l. 2. c. ubi in rem act.* sive sint res singulares sive Universales, cum  
& hereditas rectè ibi petatur, ubi sita est *l. un. c. ubi de Hæredit.*  
Requiritur a. ad fundandum hoc forum, ut de rebus ipsis per se aga-  
tur vel judicio possessorio pro possessione rei adipiscendâ retinendâ  
aut recuperandâ *l. un. c. ubi d. possess.* vel ratione alterio juris in re a-  
ctione reali sive petitorio tã universali, ut petitione hereditatis *d. l.*  
*un. c. ubi de heredit.* quam particulari, rei vindicatione, & sic con-  
sequenter de servitute & hypotheca judicandum. Actione autem  
merè personali in loco rei sitæ Reus conveniri nequit, sed potius  
in foro domicilii ex ratione in *l. 25. d. O. & A.* adductâ. Reus ta-  
men ratione rei sitæ etiam in loco domicilii conveniri potest tan-  
quam communi forum sortiendi modo *l. un. c. ubi d. hered. u. mm.*  
*Disp. 4. th. 3. num. 16. Habn. d. Judic. num. fin.* Nisi Reus in loco  
domicilii actione reali conventus provocet ad locum rei sitæ, uti  
contra dissentientes pluribus differit *Donell. lib. 17. c. 17.*

Th. 11. Ob causarum continentiam quoque Reus V. forum  
sortitur; hæc nihil aliud est quam individua causarum coherentia:  
Has *Mindanus in tr. d. continent. caus. cap. 2.* duodecim inclusit  
capitibus, quæ tamen haud incongruè ad tres classes redigi pos-  
sunt. Oritur namque Continent. caus. 1. ex Rebus, si (1.) res, quæ  
unâ eademq; actione peti potest, diversis Jurisdictionibus sit sub-  
jecta, tunc non ab uno Judice ad alium in specie transeundum, ne  
connexitas causæ dividatur, sed proximè superior, qui de causâ  
cognoscat. *l. nulli c. d. Judic. Mindan. d. tr. cap. 3. num. 4.* Requi-  
ritur verò hîc, ut Judices qui prætereuntur aut ipsi omnes subsint  
illi, qui aditur, & quidem immediatè gradu proximo, quales sunt  
B Status



Status immediate Camerae & Aulae Caesareae subjecti; aut certe eorum territoria & locus rei controversae. *Mindan. d. loc. num. 6.* (2.) si rei causa vel obligatio per se sit individua, tunc namque coram eodem iudice peragi debet *l. 2. 3. 4. 72. 85. d. v. 0. Mindan. c. 12.* (3) Si res principalis suas habeat pertinentias, ut religiosa religiosis, profana profanis adhaereant. *l. 43. 44. 59. d. Rei vind. Mindan. cap. 20.* (4.) Si res principalis habeat sua accessoria. *cap. Accessorium, 42. d. R. 3. in 6. II.* Ex personis continentia oritur (1.) quoties conveniendi sunt diversi fori, & diversis Jurisdictionibus subjecti, propter litis consortium coram proximo omnium superiore conveniri possunt *Myns. 1. obs. 4. Mindan. c. 4.* Qui tamen correi ejusdem litis debent esse unius qualitatis ac conditionis, nec alii Laici alii Clerici, quia illi unum communem Iudicem non habent, sed hoc casu quidam Dd. putant, ne causae connexitas distrahatur Ecclesiasticum Iudicem adeundum, *Menoch. cas. 372. num. 13. & Dd. ab eo alleg.* Alii è contra causam dividendam & quamlibet partem iudici suo tradi debere autumant, praesertim si sit causa criminalis dividua *Umm. Diss. 4. th. 4. num. 22.* quae opinio rationi magis congrua. (2.) Interventione Tertii, cum inter alios lis jam est capta *Mindan. cap. 8.* (3.) Si inhabilis & incapax cum habili & capaci concurrat, tunc enim si causa quaestionis individua sit, inhabile per habile sustinetur. *Abb. in cap. per tuas num. 3. X. d. arbitr. Barbos. lib. 9. cap. 57. ax. 2. Mindan. c. 19.* III. Ex natura denique Actionum oritur continentia (1) cum actiones ita sunt cognatae, ut una alterius sit preparatoria *l. 13. c. d. Rei vindic. l. 3. ff. eod. l. 20. d. inoff. testam.* (2.) quando una actio alteri praesudicium infert (3.) ob cumulationem Actionum invicem se non consumentium *l. 7. §. 1. d. condict. furt. Mindan. cap. 10.* (4.) propter Reconventionem *l. 11. §. 1. d. Jurisd. l. 22. d. judic. Mindan. cap. 7.* (5.) propter praeventionem, ut ibi iudicium terminetur, ubi est captum *l. 30. d. Judic. l. 10. c. eod. Mindan. cap. 5.* cum invito adversario ab eo discedi nequeat, quin detur Exceptio litispendentiae. *sandaus lib. 1. tit. 7. def. 1.*

Th. 12. Dicendum quoque nunc paucis de foro competente ex jure singulari, quod habitum thematis praesentis ratione considerabimus vel ex personis, vel ex Causis. Personae sunt vel Clerici



rici vel Laici. Clerici regulariter coram Iudice Ecclesiastico sunt  
conveniendi, *cap. 1. & 12. X. d. for. compet.* cui nec expressè nec  
tacitè renunciare possunt *d. c. 12. & 18. X. de for. compet.* Nisi (1.)  
clerici conveniantur ratione rei sitæ, ubi non tam persona quam  
res spectatur, & coram iudice seculari conveniri possunt *Gail. 1. obs.*  
*37. num. 4.* (2.) si conveniantur ratione feudi secularis, quales sunt  
Status Ecclesiastici in Imp. Rom. germ. qui feuda ab Imperatore  
possident, quo casu vel dominus feudi, vel pares Curiaë judicant.  
*cap. 6. & 7. X. d. for. compet.* (3.) si reconveniantur in iudicio se-  
culari *Gail. d. loc. num. 7.*

Th. 13. Laici sunt vel illustres & superiores, vel inferiores:  
Superiores sunt Status Imperii, dignitate illustres, qui in privile-  
giatis suis instantiis, quas Austregas des h. Reichs Austräge/vocant,  
(cujus vocabuli notationem vid. apud Besold. Th. pr. voc. Austräg.)  
conveniendi sunt. *O. C. p. 2. tit. 2. 3. 4. 5.* qui status cum dispares sint  
ordine, diversimodè quoque hoc Austregarum beneficio fruuntur.  
Principes & principali dignitate illustres gaudent hoc primarum  
instantiarum privilegio, sive à constitutis in pari dignitatis gradu  
conveniuntur, sive ab inferioribus ut Prælati, Comitibus &c. sive  
etiam ab iis qui mediatè Imperio subsunt; Diversam tamen pro-  
cedendi formam hic præscribit *O. C. d. p. 2. tit. 2. Mind. d. pro-*  
*cess. lib. 1. cap. 16. & 17. Coll. Arg. d. Judic. num. 256. & seq.* Prælati  
Comites Barones ac Nobiles immediatè Imperio subjecti hoc quo-  
que jus habent *O. C. p. 2. tit. 3.* ita tamen, ut si conveniantur à  
Principibus, duplici via hoc primæ instantiæ privilegio uti possint,  
juxta modum in *O. C. d. p. 2. tit. 4.* positum: Si verò Actio con-  
tra illos instituat ab aliis ejusdem ordinis personis, actori i-  
terum duplex modus præscriptus est, ex quibus unum eligere de-  
bet. vid. *O. C. d. p. 2. tit. 5. Coll. Arg. d. loc. num. 260. & 261. Min-*  
*dan. d. process. cap. 18.* Civitates Imperiales etsi Status Imperii sint,  
hac tamen Austregarum instantiâ non gaudent, sed Camera Imp.  
in primâ statim instantiâ earum Iudex ordinarius est, uti decisum  
in causa Sachsen Lauenburg contra Lubec *Limn. d. jur. publ. l. 9.*  
*c. 5. num. 18.* Nisi ex privilegio vel longissimi temporis præscri-  
ptione singulares Iudices habeant, quod de Civitatibus Imper. Es-  
lingen / Duncelspiel / Nürnberg / Regenspurg / Neustlingen /  
Schweino



Schweinfurt/ Straßburg testatur Schwann. *proc. cam. lib. 1. cap. 7. num. 3.* Et hi primarum Instantiarum Judices minimè præteriri possunt, sed sententia ab illis petenda est, quod & novissimus Imperii Recess. d. anno 1654. §. benebens sollen 105. ibi die erste Instancias und Austräg bey Erkennung der Proces fleißig in acht nehmen/ aperte confirmavit; licet in eodem Rec. §. weilsn auch in fin. Imperator Statibus promittat, se Austregarum privilegium nemini posthac amplius concessurum.

Th. 14. Inferiores personæ privilegiato foro utentes sunt (1.) Milites, qui tam in civilibus quam criminalibus coram Magistro Militum conveniendi *l. 1. 2. c. d. off. Mag. mil. l. 6. c. d. Jurisdic. (2.)* Scholares, & qui Scholarium nomine veniunt, qui secundum tenorem *auth. habita c. ne fil. pro patr.* vel coram Domino i. e. Magistratu loci ordinario; vel Magistro h. e. Academiae Rectore; vel coram loci Episcopo, qui nobis hodie sunt Cancellarii Academici, conveniri debent, *Mehlbaum Diss. d. Jurisd. th. 104. 105. 106.* Hodie tamen hoc optionis jus plane cessat, & per statuta Academica ac generalem consuetudinem Scholares Jurisdictioni Rectoris & Concilii Academici subjacent, cui quoq; se jurejurando obstringere coguntur *Cothman. Resp. Acad. 4. num. 117.* (3.) quoque privilegiato foro utuntur personæ Miserales, ut pupilli, viduæ &c. quæ extra provinciam in quâ degunt, ad Judicem aliàs non incompetentem invitæ extrahi nequeunt; ipsæ tamen si agant, adversarium coram suo principe convenire possunt *l. un. c. quand Imper. int. pupill.* Cujus tamen privilegii usus hodie ferè nullus est, cum illud, ne extra provinciam quis vocetur omnibus in *Nov. 86. cap. 1. & 3.* concessum & ab *o. c. p. 2. tit. 1. tit. 5. §. und sol sonst 2.* confirmatum reperiatur.

Th. 15. Causæ quoque dant forum privilegiatum I. Religiosæ, Spirituales & Ecclesiasticæ, de quibus sive inter Laicos sive Clericos lis moveatur, Cleri est cognitio *l. 6. c. d. s. s. Eccles. c. 3. X. d. judic.* sunt autem illæ causæ (1.) Religionis, & quæ spectant articulos Christianæ fidei. (2.) Causæ Matrimoniales, quatenus agitur de matrimonio contrahendo vel dissolvendo *c. 1. X. d. spons. 6. 12. d. Excess. prælat. clem. 2. d. judic.* de accidentalibus v. matrimonii, veluti de dote, judex Laicus cognoscit. *Fachin. 10. controvers.*



37. *Cypræus d. sponsal. c. 14. §. ult. (3.)* Causæ decimarum & redituum Ecclesiasticorum. *cap. tua nobis 26. & t. t. X. d. decim. clem. 2. d. judic. (4)* causæ dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum *d. clem. 2. d. judic. (5.)* causæ Juramentorum, quatenus de eorum observatione vel absolute agitur *cap. ult. d. for. comp. in 6.* Ex consuetudine tamen hodiernâ etiam Judex secularis de juramento ejusq; valore judicare potest *Zaf. in l. 3. num. 26. c. d. judic.* pro ut & relaxatio juramenti ad effectum agendi ad Cameram Spectat *Imp. o. c. p. 2. tit. 24.* quæ secundum tenorem *R. 3. d. anno 1654. §. alsß sich denn auch 164.* non attendere debet absolutiones à juramenti ad effectum agendi per nuncium Apostolicum factas, quod & de aliis judicibus Ecclesiasticis, qui causas seculares ad suum molendinum trahere conantur, uti dicit *Gail. 1. obs. 25. num. 3.* Subintelligendum, *Roding. pand. Cam. lib. 1. tit. 13. in fin. (6.)* Causæ Usurarum *clem. 2. d. judic.* quod itidem in desuetudinem abiisse, testatur experientia *Molin. d. usur. n. 155. (7.)* Causæ delictorum aliquot, veluti Hæreseos *t. t. X. d. Hæretic. Simonia t. t. X. d. simoni: Sacrilegii cap. 8. X. d. for. compet.* Cæterum hodiè, postquam Jurisdictio Ecclesiastica per transactionem Passav. anno 1552. & subsequenter pacem Relig. anno 1555. suspensa est, usque dum hoc religionis dissidium per amicabilem compositionem inter Imperatorem & Status Imperii decidatur, quod etiam approbat *Inst. pacis Osnabr. Art. 5. §. 47. ibi usq; ad compositionem Christianam dissidium Religionis suspensum est,* Principes quoq; & Status Augustanæ confess. seculares de causis Ecclesiasticis & Spiritualibus cognoscunt, pro quarum cognitione specialia formarunt in suis provinciis judicia tam ex Theologis quam Jctis, quæ Consistoria vocantur: II. Causæ Status quæ judices majores requirunt *l. fin. c. ubi caus. stat. Suthold. d. juris d. th. 313.* III. Causæ Fiscales de quibus olim cognoscebat Procurator Cæsaris vel Rationalis *l. 5. c. ubi caus. fiscal.* Hodiè Camera Imper. *ord. Cam. p. 2. tit. 20.* IV. Causæ Feudales, Regales, quarum disquisitio soli Imperatori reservata. *R. 3. d. anno 1521. §. ob auch Sachen fürfiesen 7.* Non Regales, de quibus cognoscit vel Dominus Feudi, si inter Convasallos lis versetur *2. F. 34. pr. 2. F. 55. in f.* vel Pares Curia, si super feudo inter dominum & Vasallum controversia sit *2. F. 55. in f. Schnob. Diss. Feud.*



*Feud. 11. th. 20. & 24. V- Causæ Privilegiorum ab ipso Imperatore concessorum, de quibus cognoscit Camera, quoties ad pœnam privilegio insertam agitur. Gail. 1. 0. 1. n. 7. ubi plures privilegii fori species adducit.*

Th. 16. Illud singulare quoad Cameram Imperialem est, quod illa cum Judicio Aulico concurrentem habeat Jurisdictionem, & quidem in solidum ita ut præventioni locus sit, quæ vel sola citatione legitimè factâ inducitur *Schwanm. obs. cam. 4. num. 1. 2. & 3.* Unde causam à Camera ad Judicium Aulicum avocare Imperatori non licet *Instr. Pac. art. 5. §. ult. & R. J. d. anno 1654. §. ebenmässig 166.* Imo hodie Imperatores Juramento prohibentur causas avocare, vel cursum Justitiæ ullo modo impedire *capitulat. Leopold. §. ob auch einige Ehur Jüstl: 26. Roding. lib. 1. tit. 3. pag. 20.* Devolvuntur autem ad suprema hæc dico Juris & æqui templæ causæ omnes, vel per modum simplicis querelæ, quam vulgo primam instantiam vocant *Gail. 1. obs. 1.* vel per viam Appellationis. Illo modo fundatur Jurisdictio Cameræ vel ratione personarum vel causarum. Personarum intuitu fundata est Cameræ Jurisdictio, si is cum quo agitur, (1.) immediatè Imperio subjectus, & (2.) neque publica, Legibus scil: Ordinationis Austregarum instantiam Statibus Immediatis concedentibus; neq; (3.) privata conventionione *O. C. p. 2. tit. 2. in pr. & tit. 6. ibi so dieselbe besondere gedinge &c.* iudices habuerit, neque (4.) aliquo modo per consuetudinem legitimam sive præscriptionem Jurisdictione Cameræ exemptus sit *O. C. p. 2. tit. 27. Roding. lib. 1. tit. 4. num. 11.* Ratione causarum fundata est Jurisdictio Cameræ, ubi non attentis ullis primarum instantiarum privilegiis rectâ ad Cameram supplicatur. Per viam Provocationis sive Appellationis fundatur Cameræ Jurisdictio, quando causa propter gravamen sive læsionem, per decretum aut factum Magistratus, aut sententiam Judicis proximè inferioris illatam, ad Cameram defertur, ut decretum vel sententia impugnetur. Hoc tamen non fit indistinctè; Dantur quippe Status Imperii, qui singularibus de non appellando gaudent privilegiis, ut vel in totum vel in tantum ab eorum instantiis non detur ad Cameram provocatio. Priori modo privilegium de non appellando absolutè habent Electores, Bavarus, tota familia ac domus Saxonum,



num, Brandenburgicus, Palatinus respectu Palatinatus inferioris, item Archiduces Austriae, & novissime per Instrum. Pac. Osnabr. Rex Sveciae ratione Ducatum ac ditionum ab Imperatore cum consensu Statuum in vim satisfactionis dictae Regiae Maj. in feudum cessarum *Instr. Pac. art. 10. §. 5. vid. Magnif. Dn. Mer. in prodrom. ad part. 1. Decis. pag. 25. & 27.* Posteriori modo, & in tantum, privilegium Statuum de non appellando in Camera locum habet, quatenus illud ad certam aureorum seu florenorum summam est restrictum, ita ut pro diversitate summæ appellabilis, uti vocant, Camera quoque instantiam habeat, extra autem illam summam iudex sit in competens *Bach. ad Tr. vol. 2. D. 32. th. 8. lit. D.* Ad hoc autem, ut privilegium attendatur, requiritur legitima insinuatio, quæ fit judicialiter per procuratorem speciali mandato ad hoc instructum, idq; cum exhibitione originalis; qua insinuatione factâ Camera eam per decretum judicialiter acceptat, & documentum factæ insinuationis è Cancellariâ largitur, docente *Roding. d. loc. pag. m. 272.* In æstimanda autem illa summa inspiciendum est id, quod à parte petitur, non quantum debetur *Gail. 1. obs. 123. num. 3.* ut tamen diversæ summæ, quarum singularum quantitas infra Jurisdictionem Judicantis est, ad fundandam Jurisdictionem conjungi possint *Gail. d. loc. Myns. 5. obs. 83.* modo ex unâ eademq; debeantur causa *Gail. & Myns. dd. ll.*

Th. 17. Ex hæcenus dictis constare porro satis potest, quodnam sit subjectum habile Mandatorum, sive contra quos Mandata decerni queant: Posito enim iudice competente, in simul quoq; ponitur Judicem eundem omnia facere posse, quæ per leges ac consuetudines ipsi sunt concessa: Hinc explicatum certumq; est, quemlibet Magistratum indistinctè subditis suis mandare, imperare; præcipere, interdicare, non modo cum clausulâ, sed etiam sine clausulâ posse, si rei qualitas id desideret, vel subditorum privilegiis non reclamet *l. 7. d. Legib.* verum hæc de Statibus & Judiciis inferioribus intelligenda sunt: Alia Camerae & Imperatoris est ratio, respectu Statuum Imperii, & maxime illorum, qui privilegiatam habent Austregarum instantiam; hic enim duplex observari debet regula: Prior est: Ubi jus Austregarum inter Immediatos Imperii Status locum non habet, ibi Mandata quidem  
cum



cum non autem sine clausulâ Justificatoriâ obtinēt. Unde quia Civitates, (exceptis illis quas supra ex *Schwanman.* adduximus) privilegiatam istam Austregarum instantiam non habent, idcirco hæ omnes in Camera directò conveniri & mandata justificatoria contra easdem extrahi possunt. Posterior regula ita habet, ubi Austregis locus est, ibi Mandata cum clausulâ silent: hinc quia Principes Imperii, secundum supra datam distinctionem, hanc privilegiatam instantiam habent, contra eos quoque mandata non cum, sed sine clausula impetrari possunt. Ratio differentia hæc esse potest, quod pura & sine clausula mandata habeant executionem paratam; Executio autem primæ instantiæ *der Austräge* privilegio non gaudet; Quamvis enim Austregæ cognitionem causarum propter qualitatem personarum ad se pertinentium habeant, Camera tamen nihilominus exequitur; cum hoc Imperator sibi expressè reservaverit; Mandata verò cum clausulâ, cum è longinquo tantum executionem comminentur, & prius ad respondendum & allegandum causas pro instituendâ cognitione impellant, contra Privilegiatos decerni nequeunt. *Mindan. d. Mand. tit. 8. num. 4. Gylhaus. arb. jud. civ. cap. 4. Ram. l. §. 1. num. 12. §. 18.*

Th. 18. Subditos igitur contra Magistratū suum Mandata Justificatoria, citationes & similia extrahere posse indubium est. An a magistratus mandatis pænalibus & sine clausulâ onerari possint, non videtur carere dubio ob sequentes rationes, quod (1.) Magistratibus tanquam Dei vices in his terris sustinentibus à subditis debeatur reverentia, quæ non in resistendo sed obædiendo consistit; præsertim cum (2.) pro Judice & Magistratu militet præsumptio, quod videlicet rectè & ex justâ causâ, quæ subditū sæpissimè latere potest, motus; non autem injuriandi animo faciat, quod facit *l. 2. c. d. offic. civil. Judic. ibi, quod non arbitramur*; ut ita summam dicendo semper præsumptio sit pro magistratu, *Alciat. d. præsumt. reg. 3. præsumpt. 9. in pr.* Accedit (3.) quod hæc libertas resistendi ansam præbeat subditis varias adversus Magistratum suum ineundi factiones, & ferendi dissidia, dum per mandata sine clausulâ in contumaciâ suâ quasi confirmati, indies magis magisque refractarii jussis superiorum resistunt, quod ut bono Publico contrarium non videbatur concedendum. Verum quæ dicta sunt, & hæc



hæc pro Magistratu præsumtio non est adeo Universalis, ut nulla  
detur Exceptio, quod enim hæcenus allatum, subaudiendum est  
de Magistratu & Judice, qui bonum publicum procurat, & justiti-  
am cuius ex jure & æquo indistinctè administrat; secus est, si in-  
juriosè contra leges ac Constitutiones publicas, pacta item ac Pri-  
vilegia subditorum agat; tunc enim quin rectè eidem per legiti-  
ma & concessa remedia resistatur, nemo est qui dubitabit; maxi-  
mè cum etiam Magistratui de facto aliquid contra jus vel æquita-  
tem attentanti non solum non obædire, sed etiam de facto resistere  
liceat, per *express. text. in l. 5. c. d. jur. Fisc. Dd. in l. ut vim d. 3.*  
& 7. quod approbatum Jure saxon. in *specul. lib. 3. art. 78.* Daß  
ein Mann wol möge seinem Herren dem Könige / und auch seinem  
Richter Unrechts widerstehen / und ihm solches helfen wehren / zu  
aller Weise / wie einem Frembden / und thut daran wieder seine  
Treue nicht. Cur igitur adversus Magistratum non licitum sit  
remediis, legibus ac Consuetudinibus introductis, uti, præsertim in  
Casibus der 4. Fälle in *c. d. p. 2. tit. 22.* expressis, ita ut contra inju-  
riosè cives suos tractantes, aut irreparabile aliquod præjudicium  
quovis modo illis inferentes, à Superiore Mandata sine clausulâ  
recte extrahantur, quod uti nec Legibus *l. 4. d. in integr. restituit. nec*  
*Canonibus, cap. conquereute 7. X. d. rest. spoliat.* inconueniens, ita  
plurima Præjudicia Cameralia in hisce terminis passim reperire  
licet apud Scriptores Camer. *vid. Mindan. cap. 13. num. 31.* qui-  
bus addi meretur egregium præjudicium, quod habet *Magnif. Dn.*  
*Mev. 4. Decis. 85.* Ubi aliquis ad incolatum singulari magistratus  
concessione admissus, postea ab eodem ad jus civium more solito  
recipiendum cogebatur, sed per mandatum sine cl: à summo Tri-  
bunali Regio in jure suo quæsito ac possessione libertatis defende-  
batur. Circumspectè verò superiorem hîc decet esse, ne contra pri-  
vilegia, statuta, pacta & compactata Magistratus ad cujusvis sub-  
diti inobædientis querulas voces & supplices libellos mandata si-  
ne clausulâ edat, ne rebellandi & seditiosius quid contra Magistra-  
tum agendi fenestra aperiatur.

Th. 19. Notandum autem hîc, antequam ad Objectum  
Mandatorum transeamus, quod mandata sin: cl: regulariter ipso  
jure non valeant, sed impune illis non pareatur *Gail. 1. obs. 13. n. 2.*  
C cum



cum ab executione processus non sit inchoandus *l. 1. C. d. Except. rei jud. o. c. p. 2. tit. 23.* & talia præcepta plerumque sunt injusta, exorbitantia, inconsiderata & nulla, quæ non auditis utriusque partis allegationibus decernuntur, ac voluntatem potius comminantis, quam judicantis præ se ferunt *t. t. c. Comminat. Epistol. program. author. Mindan. cap. 6. num. 6.* Hinc etsi sine cl. mandata utrunq; decernantur, tamen reis semper salva est exceptio sub & obreptionis, quæ ad probandum admittenda *Gylman. symph. Cam. Tom. 1. lib. 1. decis. 38. num. 9.* ( nisi notoriè fuerit calumniosa ) & si probatur, cassatur mandatum, & impetrans in expensas condemnatur *cap. ult. X. d. rescript. Gail. 1. obs. 14. num. 2.* Sed quæ hactenus proposita sunt, intelligenda sunt de casibus, quibus Jura, Ordinationes vel Consuetudines Imperii Mandata sine cl. tanquam ab æquitate exorbitantia improbant; quare in Recessu Imperii *d. anno 1654. §. alle supplicanten 79. & §. benebenst sollen 105.* cautum, ne facilè, nec aliter quam in materiâ *4. casuum der vier fälle in o. c. p. 2. tit. 23.* comprehensorum decernantur. Ratio hujus rei non obscura est, quia non illicò sine maturâ causæ cognitione, absque citatione & solennitate processus, executivè, remoto juris ordine, stricto quasi ense & manu armatâ feriendus est Reus *Roding. lib. 1. tit. 12. num. 2.*

Th. 20. Ut ergo ad Objectum perveniamus, Mandata sine cl. non in totum taxantur, sed in casibus certis à Jure Communi ut & Constitution: Imperii approbantur, ac in foro, non absque insigni pacis ac quietis publicæ emolumento sustinentur. Ordinatio Camerae *4. casus* generales præscripsit, in quibus salvâ justitiâ & æquitate, vel citatione omisâ, statim à præcepto incipi potest. *o. c. p. 2. tit. 23.* qui titulus saluberrimam mandatorum sine cl. sedem & materiam uno quasi contextu tradit. Primus casus generalis est, *so die Sache und Handlung an ihr selbst von Rechts und Gewonheit wegen gebothen/ und wo dieselbe begangen/ ohne weiter Erkantnis für straffwürdig und unrechtmässig zu halten/ i. e. si res aut factum illud ipso jure sit prohibitum.* Ex hoc cap. omnia ferè mandata prohibitoria descendunt, e. g. ne pendente appellatione quid attentetur, ne quis dolo malo & iniquè offendatur &c. Subdistingui autem hic cum *Dn. Mindan. cap. 11. num. 4.* commodè potest, ut procedant



procedant hæc mandata (1.) cum factum nullo potest justificari modo aut jure, (2.) cum ad seditionem, tumultum & scandalum respectat, & ita subest justus armorum timor: (3.) Super eo facto, quod adversario præsentis & invito concedendum esset; hinc super re judicatâ, aut instrumentis guarentigiatis & confessionatis à præcepto rectè incipitur. *c. 1. 2. X. d. Fidejuss.* Secundus casus Mandatorum sin. cl. in *d. Ord. tit. 23.* est, dadurch dem anruffenden Theil ein solch Beschwerd auffgelegt und zugesügt würde / die nach begangener That nicht wieder zu bringen / h. e. factû, ex quo damnum irrecoverabile, & gravissimum præjudicium Reo infertur; qui casus summâ nititur æquitate, & rectè sine cl. mandatis tale factum coërcetur, cum hîc sit præjudicium irreparabile, ubi licitum est à regulis Juris communis recedere *cap. licet, ibi, ingruente necessitate & cap. fin. X. d. feriis* & judici licitè resistere. Talia damna irrecoverabilia sunt, si vitæ, honorum, aut omnium bonorum periculum immineat, si sylva, quæ longissimo tempore vix recrescit, succidendo arbores annosas, devastetur. *Mindan. cap. 39.* si arces, fortalitia, templa demoliantur &c. *Mindan. cap. 11. num. 11.* Tertius casus est. So die Sache wieder den gemeinen Nutzen were / utilitatis enim, securitatis, & salutis publicæ gratiâ receditur à regulis juris communis *l. 5. §. 11. d. oper. nov. num.* nec ullo processu aut citatione hîc opus, sed recta, quod omnium promptissimum, ad executionem proceditur. exempla sunt, ne fluminibus ad impediendam navigationem officiat, ne nova telonia ac vectigalia injussu principis erigantur *Mind. c. 42.* ut tute sint vię regię, ut securitas præstetur *Mind. cap. 26. pr.* Quartus & ultimus casus Ordinatus est Mora, so die Sache keinen Verzug leiden mag; quoties enim res urget, eave successu temporis peritura, vel dilatio periculum allatura, actionem salutem vel securitatem peremtura, rectè quis extra juris ordinem cogi potest: *l. 1. §. 2. l. 3. ff. d. feriis cap. fin. X. eod.* e. g. si sit periculum invasionis, vel irruptionis hostilis, si armorum sit metus præsentissimus, si alimenra denegentur, si quis in carcere cum squalore & inediâ cum vitæ, sanitatis & salutis dispendio detineatur. *Mindan. d. c. 11. num. 17.* Et hi sunt casus generales, ex quibus mandata sine cl. promanant. Dantur verò facta & casus plures, in quibus à præcepto absque privatâ causæ cognitione inchoari



inchoari potest, ob generalitatem Verborum *Ord. Cam. d. p. 2. tit. 23.*  
ibi, in solchen und sonst andern Fällen/ in denen vermöge der Rechte  
re à præcepto ohne vorgehende Erkenntnis angefangen/ &c. ita ut  
singulæ causæ Mandatorum sine cl. hic recenseri nequeant *R. J. d.*  
*an. 1594. §. so sol auch zum fünften 78.* quis enim omnes casus jure  
prohibitos enarrabit; quis metietur utilitatem publicam, quæ infi-  
nita est; quis divinare poterit moræ periculum: Judicis discretio-  
ni & arbitrio pro contingentibus factorum hæc & alia sunt relin-  
quenda, uti eleganter Dn. Referens sentit apud *Gylman. symph. T.*  
*2. p. 3. tit. 1. n. 19. & sequ.*

Th. 21. Objecta Mandatorum cum sint innumera, ita ut pa-  
gellis nostris commodè includi ea nequeant; idcirco præcipuas sal-  
tem species, quæ dantur potissimum ex causis simplicis querelæ, &  
quidem secundum ductum *Ord. Cam.* in medium jam adducemus.  
Ubi primum locum obtinet Pacis Publicæ in Imperio violatio: Est a.  
hæc vel Religiosa, vel profana *R. J. d. anno 1594. §. was den wir 8.*  
*verb Religion und prophan Frieden.* Pax religiosa est inter Im-  
peratorem, Principes ac Status Imperii de nemine religionis intui-  
tu turbando inita conventio; & duo potissimum continet capita.  
In primo Imperator & Imperii ordines promittunt, nullum Augu-  
stanæ Confessionis Statum ob religionis professionem vi vel armis  
invadere, à fide, ceremoniis ac ritibus Ecclesiasticis dejicere, aut  
mandatis pœnalibus aliisve modis turbare: In secundo cap. Ordines  
Aug. Conf. eandem observantiam Imperatori statibusq; priscae Re-  
ligionis repromittunt, & quidem sub cautione dignitatis Impera-  
toris, honoris Principum, fide & pœnis constitutionis de pace pu-  
blica. *Alles bey Kayserlichen und Königlischen Würden / Fürstli-*  
*chen Ehren / wahren Worten und Poen des Landfriedens Rec. J. d.*  
*anno 1555. §. und damit solcher Friede.* Spectat autem hæc pax so-  
lummodo Catholicos, Augustanæ Confess. addictos, & ex *Instr.*  
*Pac. art. 7. §. 1. & R. J. d. anno 1654. §. doch sol dabey 23.* Reformatos,  
sectis reliquis planè exclusis. Si igitur aliquis in Imperio in hanc  
legem publicam peccet, turbando alterum religionis intuitu, vel  
in personâ, vel in rebus, incurrit pœnam fractæ pacis religiosæ  
*Gail. 1. obs. 2. n. 1.* quam pœnam & illi incidunt, qui his, quæ de re-  
ligionis negotio instar legis pragmaticæ sub pœnâ fractæ pacis in  
Dieta



Diata Monasteriensi annis superioribus sunt conventa, ullo modo contraveniunt. *Instr. Pac. tit. 5. per tot. & R. J. d. an. 1654. in pr. & passim* quod & Capitulat. novissimâ Leopold. §. wir sollen und wollen auch 2. confirmatum. Ut a. in Camera huic Constitutioni locus reperiat, requiritur (1.) Ut uterq; & turbans & turbatus sint Status Imperii, vel ad minimum immediatè Imperio subjecti. *R. J. d. anno 1555. §. und in solchen Freted sol die freie Ritterschafft / welche ohne Mittel Kayserl. Mantt. unterworffen / auch begriffen seyn.* (2.) ut turbatio fiat religionis intuitu, ita ut ex facto rerumque circumstantiis palam judici esse possit, aliquem religionis causa esse turbatum, *Schwanman. proc. lib. 1. cap. 8. Gail. 1. 0. 2. num. 1.* Et tum decerni solent à Camera regulariter Mandata cum clausula, quamvis etiam nonnunquam sine clausula, quando scil. factum ita est qualificatum, ut ex eo alioquin juxta dispositionem *tit. 23. p. 2. 0. C.* mandatum sine cl. decerni possit. *Schwan. d. loc. & testatur Gylman. symphor. T. 2. pag. 729. anno 1582. SCto totius Collegii hoc esse decisum, idq; per Dominos Commissarios & Visitatores anno subsequenti confirmatum.*

Th. 23. In causis quoque fractæ pacis profanæ locum habent mandata, quoties aliquis pacem & quietem publicam, contra tenorem pacis publicæ in *R. J. d. anno 1495. 1521. 1522. 1548. 1555. 1594. Instr. item Pacis Osnabrug. & noviss. Rec. d. anno 1654.* comprehensæ turbat. Quod quibus modis tum committendo tum omit- tendo fieri dicatur, eleganter tradit *Roding. Pand. lib. 1. tit. 7. num. 4. & seq.* Num verò in causis fr. pacis mandata cum, an verò sine clausula justificat. præsertim in Camera Imper decerni debeant, non est usq; adeo liquidum; & cum Lex Imperii in Pignoratio- num causis sine cl. mandare jubeat, etiam hîc idem statuendum primâ fronte videbatur; ne scil. meliøre loco sit pignorator, quam turbator pacis publicæ, qui gravius peccat, maximè cum pœna delicto regulariter sit commensuranda *l. 11. & 13. d. pœn.* Verum ordinariè in causis fractæ pac. mandata s. cl. decerni non posse cum *Gail. 1. d. P. P. cap. 5.* firmiter concludo, ratione motus; ne acces- forium potius sit suo principali, quod non concedendû, etiamsi sit illud dignius *l. 8. §. 7. d. fidejuss.* cum igitur citatio super turbatâ pace publicâ principaliter fundet Jurisdictionem Camerae, & hujusmo-  
C 3 di



Si mandata tantū accessoriè veniant; sequitur, aliter ea quam cum cl. decernenda non esse: cuius clausulæ effectus est, ut comparitione partis talia Mandata in vim simplicis citationis resolvantur. *Gail. 1. obs. 19.* scil. quoad partem non quoad Judicem *Gail. d. loc. num. 5.* Ut autem tale Mandatum decernatur necesse est, ut agens ex Constitut. fr. pacis non solum factum, sed etiam qualitatem facti, videlicet armatam manum, vim publicam, & dolum ex proposito in libello deducat, ac probeat. *Gail. d. P. P. lib. 1. c. 13. n. 1.*

Th. 24. Non incommodè hic annectimus geminum Mandatum superiori non multum dissimile utpote ex eadem pacis publicæ transgressione ferè proveniens, (1) de Relaxando Captivo, & (2) de non offendendo. Incarceratur a. quis vel ex causa civili vel criminali. Regulariter in causâ pecuniariâ seu pro debito civili nemo capi aut incarcerari debet, *l. 2. c. d. exactor. tribut.* cum carcer/pœnarium & noxiorum sit hominum. Nisi (1.) suspectus quis sit de fuga *l. 10. §. 16. q. v. in fraud. cred. Gail. 2. 0. 44.* vel (2) sit debitum pecuniariū Fiscale *Gail. 1. 0. 26. n. 1.* & hisce casibus exceptis, si de fuga non suspectus, incarceratus ex causa civili sit, ad factam petitionem mandata de relaxando cum claus. plerumque decernuntur, maxime si captivus sufficientem offerat cautionem, pignoratitiam vel fidejussoriam *Magnif. Dn. Mev. 2. Decis. 257.* reproductoq; mandato summarie proceditur: In his quoq; mādatis brevior paritionis terminus constituitur, & longior ad docendum de paritione, propter periculum scil. captivorum, uti factum in causa *der Schiefferdecker contr. Erfurt 20. Febr. an. 1592.* ubi præfixi 14. dies ad relaxandum & parendum, unus verò mensis ad docendum de paritione *Gylman. Symph. T. 3. voc. Captivus:* Si autem narrata qualitercunque in *tit. 23. Ord. Cam. p. 2.* fundata sint, rectissime sine clausulâ (quale mandatum non decernitur, quamdiu causa carceris dubia est. *Mag. Dn. Mev. 1. Decis. 1.*) mandari tradit *Mindan. c. 55. num. 7. & 11.* item cum primo mandato cum claus. reproducto non fiat relaxatio ad oblatam cautionem sufficientem, & impetrans indebitè ex causâ civili in durissimos carceres detrusus sit, cum vitæ, valetudinisq; periculo, mandata sine claus. vel etiam arctiora, sub poenâ banni decernuntur *Gail. 1. 0. 26. num. 6.* Ex criminali causâ incarceratus mandatum de relaxando sine claus. non impetrat,



petrat; nisi insimul statim doceat, vel innocentiam & carcerationis injustitiam; vel etiam carceris squalorem, & ob pericula & damna moræ intolerandum rigorem; vel criminis tam dura merentis levitatem, ex his circumstantiis mandatur etiam in criminalibus sine cl. *Mindan. d. cap. 55. num. 11.* quæ autem pro obtinendo hoc mandato requirantur vid. *apud eundem d. loc. n. 12.*

Th. 25. Mandata de non offendendo sine cl. spectant quoq; ad pacem publicam conservandam, & fundant Jurisdictionem in Camera, quando narrata supplicis libelli innituntur constitutioni fractæ pacis, veluti si quis ex justis causis offensionem metuat. *Gail. 1. 0. 1. num. 4.* Concedenda autem non temerè, nec contra quoslibet sunt hæc mandata, sed ubi justus est offensionis metus, arg. *l. 3. §. armis. d. vi & vi armat.* qui inferri solet per armorum terrorem, per insidias, inimicitias capitales, val minas graviores, & quidem à tali, qui minas aliàs exequi consuevit. *Gylhaus. arb. jud. cap. 4. ram. 1. §. 11. num. 2. Gail. 1. 0. 4. num. 1.* Minæ autem privatae, quæ in verbis nudis consistunt, nec seditiosi quid important, non attenduntur, uti in causa *Hildesheimb* contr. *Hildesheim* in specie concionatores, qui verbales injurias in concionibus effuderant, mandatum denegatum. *Gylman. T. 2. p. 1. vot. 11. per tot.* Debet autem hic metus una cum supplici libello, documento fide digno, vel si illud haberi nequeat, indiciis probabilibus judici verificari, *Mindan. cap. 33. num. 18.* & tum mandatur sine claus. cujus rationem adducit *Mindan. cap. 34. num. 8.* vel sub pœnâ fractæ pacis, quæ in personis secularibus est Bannum *Gail. d. P. P. lib. 1. cap. 1. num. 3. 7.* in Ecclesiasticis & Mulieribus privatio Regalium, & Feudorum Imperialium, omniumq; privilegiorum *Gail. d. loc. num. 12. 13. 14.* vel etiam loco banni certa pœna pecuniaria 50. 100. und mehr *Marck löttiges Goldes*: uti Fiscali & Rab. contra H. D. & consortes 10. Dec. anno 1653. mandatum pœnale de abducendo milite, & non amplius offendendo contra pacem publ. sub pœnâ 100. Marcarum auri puri fuit decrerum; *Roding. lib. 3. tit. 8. num. 5.* Contra Magistratum tamen civibus & subditis non facilè decernenda sunt hæc de non offendendo sine cl. mandata, cum haud temerè credatur Magistratus offendere, & publici juris executio insuper non habeat injuriam *l. 13. §. 1. & 6. d. inj.* Nisi verisimiliter probeatur, Magistratum jam ante quid injusti fecisse; & causa adsit, graviora in posterum



rum metuendi. Non autem sufficit, si supplicans proferat, se à Magistratu delicti alicujus incusari, ideoque carcerem metuerè, cum in hoc non justus subsit metus aut injuria. Unde in tali casu summum Tribunal Wismar. non sine claus. sed saltem juxta narrata, ad procedendū secundum jus & justitiam, mandatum decrevit, prout hoc adducit *Magnif. Dn. Meru. 2. Dec. 47.* ubi inter præsentem & futurum metum distinguit. De processu in hisce mandatis observando in specie vid. *Schwannm. proc. lib. 2. cap. 20. & quæ circa cautionem hîc notanda. Mindan. cap. 35.*

Th. 26. In causis Pignorationum quoque obtinent mandata sine claus. *O. C. p. 2. tit. 22.* Pignorationes ex constitut. Imperii tunc fieri dicuntur, quando Status, vel Nobilis Imperii, alterius Status vel Nobilis, subditos aut eorum bona mobilia ob contentiosam Jurisdictionem, vel possessionem alicujus juris, quod eò loci, ubi fit pignoratio, prætenditur, capit aut pignori accipit. *Gail. de pignorat. obs. 1. n. 3.* Hæ pignorationes sunt admodum odiosæ *Köppen. decis. 41. n. 1.* jure Civ. jam improbatæ *Nov. 52.* cum nemo sibi ipsi jus dicere debeat; Unde contra eas, de restituendo decernuntur mandata sine claus. quibus constitutio Imperii jubet parere, nec objectu causalium restitutionem suspendi. Quæ a. requirantur ad hoc, ut mandatum de restit. decernatur, vid. *apud Gylman. r. 3. verb. pignoratio. & Mindan. d. Process lib. 1. cap. 34. n. 2.* Duplex verò circa Pignorationes processus, alter partitionis sive mandati, alter citationis: primò mandat Imperator *in O. C. d. tit. 22.* ut persona capta ante omnia relaxetur, vel res pignorata è vestigio restituatur: Deinde citatur Pignoratorum ut de partitione facta doceat, tum ut causam pignorationis, si quam habere præsumat, in termino præfixo deducat, sub pœnâ perpetui silentii; *Gail. d. pignorat. obs. 1. num. 10. vid. Roding. lib. 3. cap. 47.* Licet autem *ord. cam. d. t.* expressè jubeat in pignorationum causis sine claus. mandare, ad hoc nempe, ut pignorata res adempta statim reddatur & sic mandato pareatur: Secus tamen est & limitationem accipit in casibus in quibus pignorationes licitæ sunt, *Magnif. Dn. Meru. 1. Dec. 34.* ubi restitutio pignorum tamdiu differtur, quamdiu jus pignorationis est dubium. Ex quo enim Pignorationes ex consuetudine, aut justa ratione, in usum vene-



venerunt, sequitur cessante causâ mandati non posse adversus illas sine claus. mandari; aut si mandatum tale processerit, paritorem tamen propter exceptiones istas, quæ asserunt Jus pignorandi tamdiu suspendi, uti pluribus hoc egregiè declarat, & in Praxi indies observari testatur laudatus *Dn. Vice-Præses 2. Dec. 106.* In quæstione verò de jure Pignorandi, probandi onus incumbit injustè pignorationem factam asserenti, præsertim si pignorans sit in possessione fundi, in quo processit pignoratio *cap. sæpe X. d. restitut. spoliat.* Sin autem Pignoratus in fundi possessione tempore pignorationis fuerit, contra pignorationem præsumitur, & ille in possessorio defenditur, donec pignorandi jus apertum sit; ex defectu quippe possessionis, præsumitur injuria pignorationis. *Köppen. d. Decis. 41. num. 20. & sequ. Magnif. Dn. Mevius 2. Dec. 107.*

Th. 27. Pignorationibus haud absimilia sunt arresta Imperii five manus injectio *Mindan. lib. 1. cap. 52. Gail. d. arrest. cap. 2. num. 1.* quæ constitutio promulgata est in Comitibus Imperii Spiræ anno 1570. ad stabiliendam publicam in Imperio tranquillitatem, cum aliâs quoque Arresta tam jure Civ. quam Canon. regulariter sint prohibita. *Coler. Proc. Exec. part. II. c. 2. n. 269. Schurf. Conf. 15 num. 1. & sequ.* Summa autem hujus Constitutionis est; Si quis immediatè imperio subditus, alterius immediati res subditosve, eorumque bona arrestaverit, nec arrestum oblata idonea cautione de judicio sisti & judicatum solvi relaxaverit, arrestato mandatum sine claus. cum annexâ citatione ad docendum deparitione, decernitur *d. R. J. de anno 1570. §. wann auch die Arresta & d. anno 1594. §. bey den Arresten.* Ad hoc autem ut Constitutio Arrestorum in Camera locum habeat requiritur. (1.) Ut Arrestans & Arrestatus immediatè Imperio subditus sit, (2.) ut arrestanti offeratur idonea cautio de judicio sisti & judicatum solvi. *d. Const. vers. auff angeborne gebührliche caution:* quæ cautio idonea esse putatur, si fiat fidejussoribus aut pignoribus *l. 59. §. 6. Mandat.* & in tantum necessaria est hæc cautio, ut etiam à personis illustribus & Statibus Imperii præstari debeat, Constitutione expressè ita disponente *Gail. d. Arrest. obs. 4. num. 15.* Interim quæ fit sub hypothecâ omnium bonorum, pro sufficienti ut plurimum habetur. *Roding. lib. I.*



*lib. 1. tit. 9. num. 36. (3.)* quod Arrestum ob causam civilem & non criminalem factum sit. Memor. Visitat. d. anno 1577. § Nach dem auch zu Regenspurg puta in actionibus personalibus aut realibus, propter debita, vel ex alia quacunque, modo civili causa *Mindan. d. process. 1. cap. 40. (4.)* quod adsit personæ vel possessionis impedimentum: ut nimirum vel persona detineatur, vel etiam possessio rei alicujus, quâ uti frui absque relaxatione non detur. *Mindan. d. process. 1. cap. 39. (5.)* requiritur mandatum vel ratihabitatio Domini, si per officiales arrestum impositum sit. *Roding. d. tit. 9. num. 39.* Concurrentibus hisce requisitis, si arrestans arrestatum idoneam cautionem offerentem dimittere recuset, ad factam implorationem iudex per mandatum sine clausulâ arresti relaxationem sub pænâ certâ arrestanti injungit, qualem formulam tradit *Schwannm. in proc. lib. 1. tit. 13.* Et Not. hîc, iniquè arrestatum, prius ad actionem s. causam principalè respondere non teneri, nisi arresto prius relaxato, quod absque morâ fieri debet. *Magnif. Dn. Mecv. d. Arrest. cap. 25. num. 18. & seqq.* Comparatur enim spolio: ut ergo Spoliatus ante omnia restituendus *c. cum dilectus X. d. ord. cogn. si etiam arrestatus; uti concludit modo citatus Magn. Dn. Vice-Præses 3. Decis. 233.*

Th. 28. Causæ quoq; litigiôsæ Possessionis fundant Jurisdictionem in Camera *o. C. p. 2. tit. 21.* Est a. causa litigiôsæ possess: quando propter jus aliquod rei ipsi connexum, puta Jurisdictionis, servitutis, collectandi, aut venandi &c. litigiôsæ est possessio. *Mindan. d. process. lib. 1. tit. 43. num. 7.* Agi verò ex constitutione hac potest & Ordinariè & Summariè. Ordinariè quidem ex §. 1. *d. Constit. per actionem seu interdictum retinendæ possess: uti possidetis, quod definitivam in possessorio parit; petitorio tamen reservato: ibi des sollen beyde Theil zu entlichem Austrag. Gail. 1. obs. 7. num. 1.* Summariè verò seu momentaneum, de quo hac Constitutio præcipuè loquitur in §. ult. obtinet, quando non solum certissimus subest armorum metus, sed partes etiam in procinctu jam versantur, invicem se invadendi; idque fit implorato officio iudicis per succinctam informationem ibi und alsbald darauff Summariè obne einigen gerichtlichen Proceß oder andere weitläufftge Ausführung der Sache / reservato hoc casu tã ordinario possessorio quam petito-



petitorio iudicio utriq; parti prosequendo. *Schwannm. Obs. 56. num. 5.* ubi habet, quæ requirantur junctim, ut processus in hoc casu decernantur. *num. 6. 7.* Inhibitio tamen ex capite ultimo d. Constitut; non decernitur, si constet, alteram partem possidere, & possidentem ab altero turbari, etiamsi armorum periculum subsit; quia eâ ratione possidenti injuria fieret, sed tum Judex mandatis pœnalibus vim fieri prohibet, & possidentem in possessione adversus turbatores tuetur: *Gail. 1. Obs. 5. num. 5. Roding. lib. 3. tit. 9. in f.*

Th. 29. De quatuor illis Casibus, seu von den 4. Fällen in *O. C. p. 2. tit. 23.* expressis, ubi Mandata sine claus: locum obtinent, restat Novi Operis nunciatio, quæ nihil aliud est, quam solemnis prohibitio novum opus in nostrum vel Reipublicæ præjudicium paranti facta, ad id, ne in novo opere parando pergat, donec de jure ædificationis constiterit, & præstita sit eo nomine decens cautio, *Mindan. d. mand. cap. 30.* Mandata verò quæ hîc sine claus: decerni solent sunt vel prohibitoria vel demolitoria; illa sunt vel prohibitoria operis, vel inhibitoria turbationis. *Roding. pand. lib. 3. cap. 10.* Prohibitoria operis contra ædificantem decernuntur, qui facta aut spretâ legitimâ denunciatione, vel verbis, *l. 20. §. 1. quod vi aut clam,* vel per Judicem *l. 16 d. oper. nov. nunc.* vel per lapilli jactum *d. l. 20. §. 1.* nihilominus ædificare pergit *Gail. 1. O. 16. num. 12.* Inhibitoria turbationis contra ædificare prohibentem, oblata sufficienti cautione locum habent. Demolitoria, quæ & Restitutoria vel de re integrandandâ, mandata dicuntur, sunt, quo novi operis, remissione nunciationis à nunciante non facta, demolitio ædificati seu nunciato imperatur *Roding. d. loc. num. 8.* idque sine clausulâ propter contemptum Judicis. *Mindan. cap. 32. num. 11.* quam demolitionem sumtibus propriis facere cogitur, sive possideat novum opus, sive non *l. 16. in f. quod vi aut clam.* Heres autem nunciati possidens solam patientiam operis destruendi præstabit, cætoquin in pœnam non succedit *l. pen. ff. de oper. nov. nunc.* sed hoc casu fabri & opifices, si & his novum opus nunciatum sit, & nihilominus, jubente domino, in opere perrexerint, illud suis sumtibus destruere debent. *Mindan. d. cap. 32. num. 15.* Reficienti verò vetus ædificium opus novum nunciari nequit, si mera sit refectio *l. 1. §. 1. d. via publ. refic.* Secus si vetus forma immutetur *Schrader.*



*d. Feud. p. 2. cap. 3. num. 44.* Quibus casibus verò fiat remissio nunciationis vid. *ap. Mindan. cap. 31. per tot.* ut & quæ ad obtinenda mandata Demolitoria, restitutoria & inhibitoria requirantur, distinctè tradit *Schwannm. proc. l. 1. cap. 10.*

Th. 30. Siquidem, uti supra jam innuimus, impossibile est, diffusissimam hanc Mandatorum Materiam unicæ Disputationi includere, ita ut cuius speciei ex æquo satisfieri queat, ideo temporis compendium me facturum arbitror, si id quod restat ad duas aut ad summum tres classes generales referam, nempe ad Mandata Executorialia, Inhibitoria & Compulsoria. Executorialia cum specialem tractatum per se constituent, hîc seponimus, benevolum Lectorem ad politissimum Mindani de Executionibus tractatum, qui extat in 4. parte Mandator: officiosè remittendo. Inhibitoria Mandata, præcipuè circa Processum, sunt. (1) Ne quid pendente lite, aut appellatione interposita attentetur *t. t. nihil nov. appell.* Attentatum verò quando dicatur scitè tradit *Althus. in Dicaolog. lib. 3. cap. 56. num. 19. & seqv. & Gylman. symphor. r. 3. verb. attentata.* Ergo si à sententiâ definitiva vel Interlocutoriâ vim definitivæ habente appelletur, sive Judex à quo deferat appellationi, sive non, inhibitiõ petita indistinctè decernenda est. *Mindan. d. Mandat. cap. 27. num. 6.* Excipitur tamen (1.) possessorium retinendæ possess. quando adpellatus est in possessione *R. J. d. anno 1594. §. die inhibitiones*, cujus rationem reddit *Roding. lib. 3. tit. 11. num. 11.* (2) si de Jurisdictione Judicis ad quem non satis constet. *d. R. J. d. anno 1594.* (3.) si appellatio jure communi prohibita sit vid. *Gail. l. obs. 144. ubi plures limitat. ponit.* Quodsi autem appellatum sit ab interlocutoriâ, simplici, sed appellabili, tunc inhibitiõ nõ decernitur; Nisi evidens periculum in morâ fuerit, vel inde damnum irreparabile consecuturû sit; id quod ante docendum *d. Rec. J. d. an. 1594. §. wenn aber von gemeinen 101. Gail. d. 0. 144. num. 4. Roding. d. loc. num. 10.* (II.) Mandatum Inhibitorium est, ne impediatur litis persecutio, item ne quis turbetur contra latam sententiã; quod factum, cum omni Juri & æquitati sit contrarium, merito pœnæ metu, & inhibitionibus pœnalibus coërcendum venit per *l. 1. ne quis eum qui in jus. Rosenthal. d. Feud. c. 10. concl. 35. n. 19. Mindan. d. Mand. cap. 29.* (III.) De inhibendo giudice incompetente, in causa post



post oppositam Incompetentiæ exceptionem nihilominus procedere volente. *Herculan. d. Attent. cap. 28. num. 79. & sequ. Aret. Conf. 106. citante Gylman. T. 5. verb. sententia interlocutoria.*  
(IV.) Ne pendente Revisione vel supplicatione procedatur, aut Sententia executioni manderur lite in Revisorio pendente *R. J. d. anno 1600. §. als auch Streit vorgefallen.* In Rec. Imp. tamen noviss. d. anno 1654. effectus suspensivus in Revisionibus futuris in totum sublatus est, modo pars victrix sufficientem præstet cautionem de judicatum restituendo, ubi in Revisorio succubuerit, exceptis causis Religionem & spiritualia concernentibus. vid. omnino hic *Roding. pandect. lib. 3. tit. 61. pag. 911.*

Th. 31. Compulsorialia Mandata continent vel Rei alicujus Editionem, vel Exhibitionem, vel præstationem. Edi petimus vi compulsorialium (I.) Acta prioris instantiæ, cum Judex ad quem mandat Judici à quo sub poenâ arbitrariâ, ut appellanti Actorum copiam sub sigillo, pro justo pretio intra terminum edat. *Schwan. d. process. lib. 2. tit. 2. quem omnino vid. & quidem mandatur simpliciter absq; clausula justificatoria Gail. 1. obs. 134. num. 3.* Acta verò integra edenda sunt: *Denais. Jur. Cam. cap. 2. verb. actorum editio §. 7. sin minus, idque culpâ judicis evenerit, judex parti ad interesse tenebitur. Myns cent. 1. obs. 11.* Deinde per Compulsoriales edi rogamus quævis Instrumenta, privilegia, Rationes, statuta, nam & hoc casu supplicanti decernuntur mandata sine cl. per tradita à *Gail. 1. obs. 134. num. 11. Mindan. d. Mandat. cap. 48. num. 7.* sed interesse prius saltem summarie ad minimum probato. *Author. præjudic. Camerali in verb. Compulsoriales.* Compulsorialia Mandata porrò decernuntur de Exhibendis, tum Tabulis, ut si testamentum quis condiderit, tabulæ autem testamenti ab aliquo detineantur, tunc verò intersit illas exhiberi, tunc agi potest contra detentorem interdicto *d. tab. exhib.* quo factò per mandatū poenale compellitur ad Tabularum exhibitionem *t. t. d. tab. exhib. ibiq; Wes. & Dd. commun. tum Libero homine t. t. d. lib. bom. exhib. tum Liberis t. t. d. lib. exhib.* quæ Compulsorialia etiam locū habent ad instantiam Tutorū pupillos sibi certis ex causis exhiberi petentiū, ut in causa Ammalix à *Reiffenburg 9. Martii an. 1574. ex capite, ut eo melius & commodius educari pupilli possent. Mindan. d. Mandat. tit. 52. n. 5.*



Ad præstandum denique per Compulsoriales quis cogi potest, veluti Testis ad perhibendum testimonium *v. t. X. d. Testib. cogend.* Advocatus & Doctor Juris ad consulendum & patrocinium in causâ præstandum *v. l. §. 4. d. postul. l. 7. c. eod.* Procurator Ordinarius ad procurandum & defendendum, ut & Notarius ad instrumenta conficienda. *Ord. cam. part. 1. tit. 41.* Sic superior inferiorem judicem Justitiam denegantem tam per Promotoriales, quam Compulsoriales ad juris&æqui administrationem adigere potest. *Mind. d. Mandat. cap. 53.* ubi triplicem hîc distinctionem subministrat. Tandem addenda veniunt Alimenta, quorum præstatio Mandatis Compulsorialibus sine claus. detrectanti injungi potest; Nisi de quantitate alimentorum agatur, de quâ non liquido constet, tum enim cum clausulâ mandandum esse docet sæpe citat: *Mindam. cap. 54. n. ult. d. Mandat.*

Th. 32. De Forma Mandatorum hîc ex methodi præscripto agendum esset; Cum autem forma sit de genere indivisibilium, *Barbos. lib. 6. cap. 20. ax. 10. & ibi alleg.* tamq; diversæ ex variis causis ortæ mandatorum species in consonam unam formam redigi nequeant; singulas quoque commonitoriorum differentias specificas huc consignare ab instituto meo, qui disputationem, non verò perfectum de Mandatis tractatum conscribere ab initio proposui, alienissimum; Idcirco nemo incogitantia aut levitatis ad scopum properantem accusabit, si labore hcc supersederò; maximè cum superiores pagellæ singulorum Mandatorum naturam lectori non obscure ob oculos jam ponant. Quod si insuper quis solennitates in mandatis cum & sine claus. præprimis in Camerâ Imper. observandas, scire desideret, hunc ad Scriptores & Observatores Prax: Camer: remitto, præcipuè *Rodingii Pandect. & in his ad lib. 3. tit. 5. tit. 39. 40. 41.* ubi multa habentur singularia ex jure novissimo Rec. d. an. 1654. ubi vide. Nos ad Effectum properamus.

Th. 33. Effectus Mandatorum sunt varii; Nos geminum saltem adducemus. Alterum assignabimus mandatis cum claus: alterum sine claus:. Effectus mandatorum cum cl. præcipuus est, quod illa, Reo in constituto termino comparente, in citationem simplicem resolvantur: (qui princeps clausulæ justificatoriae effectus) Hoc tamen non simpliciter & absolutè, sed quoad effectum



etum solummodò suspensivum intelligendum, & sic quoad par-  
tem ream, non verò Judicem. *Roding. lib. 3. tit. 5. §. 5.* donec scil.  
de validitate vel invaliditate mandati constet, seu impetrans nar-  
rata justificet *Gylman. lib. 2. præjud. Cam. decis. 21. n. 7. Mindan.*  
*de mandat. cap. 7. n. 2.* Effectus mandatorum sine claus. est; tum  
Paritio: Nulla enim hîc admittitur exceptio præterquam sub &  
obreptionis; *R. 7. de anno 1594. §. Denn auch zum Dritten. 76.* quæ  
factum ipsum directò impugnet, negando id vel in totum; vel non  
eâ violentiâ, iisq; circumstantiis esse perpetratum, ex quib9 per vi-  
am mandati procedi queat. *Roding. lib. 3. tit. 4. pag. 797. Gail. 1. 0.*  
*14. per tot.* Et quamvis hisce mandatis annecti soleat citatio; non  
tamen hoc fit ad contradicendum aut allegandum causas, cur Re-  
us mandato parere non teneatur, prout fit in mandatis cum cl.; sed  
ut in termino compareat, ad docendum de paritione jam factâ, &  
nisi docuerit, ad videndum se in pœnam mandato insertam decla-  
rari *Gail. 1. obs. 15. n. 1.* vel ad allegandum causas, cur illa pœnæ de-  
claratio fieri non debeat *Mindan. de mandat. cap. 10.* Si igitur  
mandatis hisce paritio non sit præstita, tum effectus alius nempe  
Pœna mandato inserta locum obtinet. Quis verò processus hîc  
observandus veniat, optimè tradit *Mindan. cap. 17. & Gail. 1. obs. 15.*  
Pœna hæc, quod supra jam attigimus Th. 25. vel est Bannum in Se-  
cularibus *Gail. lib. 1. d. P. P. c. 1. n. 3. 7.* vel privatio Feudorum, Re-  
galium, omniumq; Privilegiorum, ut in personis Ecclesiasticis ac  
Mulieribus *Gail. d. loc. num. 12. 13. 14.* vel etiam pecuniaria aliquot  
Marcarum auri puri. *Roding. lib. 3. tit. 8. num. 5. add. Coll. Arg. d. Inter-*  
*dict. num. 53.* & decernitur ad instantiam vel partis, quæ obædire  
nolentis contumaciam accusare, & citationem ad audiendum &  
declarandum illum in pœnam petere debet *Mindan. cap. 17. num. 4.*  
vel etiam ipsius Fisci, ex officio adversus contumacem, secundum  
normam Ordinationis procedentis. *O. Cam. p. 2. T. 20.* quod hodiè  
in Foro indies practicari, experientia testis est.

Th. 34. Siquidem aliquis mandato parere nequit, nisi illud  
sit legitimè insinuaturn; hinc de executione seu insinuatione Man-  
datorum pauca sunt addenda. In Camera Imper. quam examussim  
sequitur Augustiss. Tribun. Reg. Wismar. executiones Mandato-  
rum ex præscripto Ordinationis dupliciter fiunt: Aut per Nunti-  
os Juratos Camerae, durch geschworne Kammerboten / qui execu-  
tionis



tionis relationem ad finem mandati vel citationis adscribere debent, cum designatione loci, diei, anni, mensis, personæ &c. *o. c. p. 1. tit. 38.* vel per Notarios immatriculatos, qui adhibitis duobus fidedignis testibus insinuationem peragere & desuper instrumentum publicum conficere debent *o. c. part. 1. tit. 39. schwannm. d. process. lib. 1. ca. 21. 22.* Notandum verò, illum, qui rescriptum, monitorium, aut mandatum in Camera impetravit, hoc intra annum adversario insinuare & præsentare teneri: aliàs si post annum id differat, terminus habetur, quoad executionem & insinuationem, pro circumducto; cum omnia rescripta, si certum tempus in iis definitum non sit, pro annalibus habeantur, & intra annum exequenda sint, *cap. 23. X. d. Rescript. Mindan. cap. 21. num. 1.* Denique cum nulla possit esse Mandatorum auctoritas, si pro iis administrantium incolumitas sit in periculo; hinc Nunciis & Notariis, tanquam instrumentis publicis, officio suo fungentibus, concessa securitas publica; & ministris hisce illata injuria, iudicibus ipsis totiq; iudicio illata censetur: *Wesenb. d. Injur. num. 6. Guid. Pap. decis. 557.* in tantum, ut violatores Mandatorum Cameral. & Mandata insinuantium nonsecus ac violatores pacis publicæ immediatè à Fiscali in Camera conveniri, & pro ratione illatæ injuriæ gravissimè puniri possint, nonnunquam, pro atrocitate perpetrati delicti, vel ipsâ fractæ pacis pœnâ; *schwannm. d. proc. lib. 1. tit. 7. Chassan. in catalog. glor. mund. p. 1. consid. 19.* Sic cum Notarius in viciniâ processus insinuans carceri includeretur, & desuper mandatum de relaxando sine claus. à summo Tribun. Wismar. peteretur, sine morâ illud decretum fuit, *Magnif. Du. Mev. 1. Decis. 156.*

Th. 35. Supersunt Affinia & Contraria Mandatorum, quæ omninò etiam improbâ consideratione essent dignissima: sed modus, tempus & instituti ratio hîc cessare jubent. Multa, Benevole Lector, ut vides, præterii, saltem ut brevitati consulerem: Eorum verò, quæ minus aptè dicta sunt, veniam quoque eò facilius à Te habiturum me spero, quo nobilius & in foro illustrius fuit Disputationis meæ argumentum; si non effectui, tamen conatui meo favendum, qui in ardua ac perplexa Mandatorum materiâ vires ingenii tentare, discendi causa, volui. Tu ex æquo erratis ignosce ac emenda: Ego in nomine S. S. Trinitatis, unde inceperam,

Finio.



ULB Halle 3  
003 017 125




86

VD77









Inches  
Centimetres



1667, 2

36

5

AUGURALIS

# ATIS SINE ULLA,

Clementia

ssimi & Amplissimi  
luta Pomeranorum  
ica

## GERDESIO,

f. Ordinario, Facultatis  
Fautore ac Promotore  
no,

onoribus & Privile-  
solenniter

Censuræ

us Wolff/  
ENSIS.

ori hora 7. Matutina.

DIE

f. Typogr. clb lccLXVII.

